

tum quia fuit dictum tempore passionis Jesu: unde si tunc primo defecit sceptum, ergo antequam defecit jam venit Jesus, quod est contra prophetiam. Denique, Herodes non erat rex, sed tyrannus, verus autem rex erat, qui ex Antigono, vel ejus fratre Hyrcano, qui fuerunt veri reges descendebat, ut Mariamne uxor Herodis, et si quis alius: ergo non verificatur, quod defecerit sceptum de Juda tempore Herodis, si quidem tunc erat legitimus hæres regni de tribu Juda, licet violenter, et tyrannice oppressus ab Herode.

XXIV. Respondetur defecisse sceptum de tribu Juda, eo tempore quo natus est Jesus non ante, nec post. Non ante, quia licet in Jechonia defecerit filius, qui sederit super solium David titulo, et majestate regis, non tamen, qui sederit ut princeps seu dux, constat enim, quod Zorobabel, et deinceps ejus successores descendebant ex Jechonia, ut dicitur Matthæi I et I Paralipomenon III, fuit autem Zorobabel dux in Juda, ut dicitur Aggæi II, prophetia autem Jacob non restringitur ad titulum regis, sed etiam ducis, dum dicitur: *Non deficiet sceptum de Juda et dux de femore ejus* vel communiori vocabulo in Hebræo non deficiet virga de Juda, id est, principatus. Quod vero attinet ad Macchabæos, seu Assamonæos, constat quod licet essent ex tribu sacerdotali, tamen etiam de tribu Juda descendebant, et sic in Scriptura vocantur viri Juda, quod solum dici solet de descendantibus ex tali tribu, dicitur enim I Macchabæorum V, de quibusdam: *Ipsi non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel, et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel.* Qui utique non sunt alii, quam Macchabæi, quia per ipsos facta erat illa salus. Constat autem, quod tri-

bus sacerdotalis, cum tribu Juda copulabatur, quia Elisabeth dicitur cognata Mariæ, Lucæ I, et tamen Elisabeth, erat de filiabus Aaron, ut ibidem dicitur, et Maria ex tribu Juda, sicut Joseph vir ejus. Et Exod. VI dicitur, quod Aaron accepit uxorem Elisabeth filiam Aminadab, qui erat de tribu Juda: sed tamen tunc nondum erat lata lex de tribubus non miscendis.

XXV. Ad replicam vero contra istam responsionem dicitur, quod tempore Herodis totaliter defecit sceptum de tribu Juda, tam ex genere paterno, quam materno, quia Herodes fuit Idumæus, et gentilis licet postea proselytus. Quod vero Cyrillus dicit fuisse ex matre Judææ, id videtur errore librariorum positum et legendum ex matre Idumæa; nam ut refert Josephus, lib. XIV antiquitatum, cap. XII, Antipater Herodis pater duxit uxorem Arabicam, Cypron nomine ex qua sustulit quatuor filios, quorum unus Herodes fuit. Quod vero ipse Herodes duxerit uxorem Mariamnem ex sanguine regio tribus Juda nihil obstat, quia ipsi personæ Herodis collatum est regnum, et non uxori ejus. Primo quidem ex senatus consulto, et beneficio Cæsaris Augusti, tuncque extincto Antigono, qui ex familia Assamonæorum ad regnum aspirare poterat, tota illa familia deleta est, ut inquit Josephus, libro XIV, capite ultimo, saltem in linea masculina, remansit enim Mariamne, quæ Herodi nupsit. Deinde vero quia adhuc non sufficiebat iste titulus si populus non voluisset eum habere pro legitimo rege, remaneret enim solum tyrannus, dicimus, quod tunc propriissime defecit sceptum de Juda, quando populus consensit, et acceptavit illum in regem, obedientiam, et juramentum ei præstando, quod fecit populus, ut refert Josephus, lib. XVII antiquita-

tum, cap. III, et hac de causa animadvertit Herodes in quosdam Pharisæos, quia noluerunt ei obedire, ut ibidem testatur Josephus. Hoc autem juramentum, et obedientia non est facta uxori Herodis, sed ipsi personæ Herodis, et sic cum usque ad illud tempus pro illegitimo rege haberetur, nec verificaretur defecisse sceptum de Juda, tamen ex quo populus consensit, sine dubio translatum est sceptum de tribu Juda ad Herodem. Contigit autem hoc juramentum, et acceptatio populi illo ipso anno quo natus est Jesus ex Maria, nam Eusebius in chronico ponit illud in eadem olympiade, qua natus est Christus, et Philo in libro de temporibus (si ejus est) ponit illud in anno trigesimo principatus Herodis numerando hunc principatum ab illo anno, quo Augusti beneficio illud obtinuit post devictum Antoiium; ab illo enim anno regnavit Herodes triginta septem annos, et septimo anno Christi mortuus est, si quidem septem annorum erat puer Jesus, cum relatus est ex Ægypto, Herode mortuo, ut videri potest apud Baronium, I tomo annalium, anno Christi septimo, quare trigesimus annus principatus Herodis a tempore Augusti Cæsaris concurret cum primo anno Christi, et sic præcisus articulus adventus Messiae fuit illomet anno quo defecit sceptum de Juda. Unde quando dixerunt Judæi non habemus regem nisi Cæsarem, non dicitur quod tunc primo receperunt illum pro rege, sed potius ista verba supponunt jam antea ipsos habuisse illum in regem, et recepisse, scilicet quando juraverunt Herodi, qui erat factus rex a Cæsare. Quod nunquam fecerant Judæi, quando erant subditi Persis, sed tunc habebant suos peculiare duces de tribu Juda, ut Zorobabel, et alios, non vero alienigena aliquis illis præfi-

ciebatur a Persis, neque acceptabatur ab ipsis.

XXVI. Denique, nihil refert, quod Herodes Agrippa, qui descendebat de tribu Juda per lineam maternam, scilicet ex Mariamne, postea regnaverit: nam semel ablato sceptro a tribu Juda, ut factum est in primo Herode, jam adimpleta erat prophetia, quod debebat venire Messias, quia solum dicebat, quod non auferetur sceptum quousque veniat, quod vero semel ablatum iterum rediret ad tribum Juda, hoc jam non pertinebat ad prophetiam.

XXVII. Tertio, arguitur contra locum allatum ex capite nono Danielis ex quo propter sui obscuritatem non videtur posse aliquid probari tamquam de fide. Nam in primis ipsa computatio per hebdomadas extraordinaria est, et patens variis expositionibus, et opinionibus, nec apparet qua ratione introducta sit ad tantum mysterium explicandum, vel potius occultandum. Deinde, quia non ponitur Christus venturus, determinate hebdomada septuagesima, sed quod post septuaginta duas hebdomadas occidetur Christus, qua autem hebdomada determinate non dicitur, qui enim dicit post talem diem venit non continuo determinat, qua die veniet, sed indefinite pronuntiat. Ad hæc major obscuritas est quando dicitur: *Usque ad Christum duces hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duo erunt, et post sexaginta duo hebdomades occidetur Christus.* Ad quid illa partitio hebdomadarum, septem et sexaginta duo? In principio etiam dixerat, quod septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt usque quo ungatur Sanctus sanctorum, non autem in morte sua unctus est Christus, sed in conceptione sua, in qua fuit unctus divinitate, et tamen septuaginta hebdomades terminantur in morte non in conceptione

Christi. Denique, dicit : *Quod confirmabit pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et jure sacrificium* In quo non apparet quæ sit illa hebdomada una; nam si est ipsa ultima et septuaginta non verificatur, quod in dimidio illius deficiet hostia, si quidem septuaginta hebdomades non complentur in dimidio illius, sed in ultimo, id est, in 490 annis; si autem est alia distincta, corrui totum nostrum fundamentum, quia nescimus quæ sit illa hebdomada, et ubi terminetur. Ut omittam quod hæc nostra sententia supponit in regno Græcorum, quod incœpit in Alexandro, fluxisse usque ad Joannem Simonis filium, quiescit Hyrcanus 194 annos, et exinde ad Christum centum, cum tamen constet ex primo Macchabæorum ultimo, solum fluxisse 177 annos in regno Græcorum, et sic est error fere viginti annis ut notavit Suarez, I tomo, III partis disputatio I, sect. II.

XXVII bis. Respondetur, supputationem istam per hebdomadas fuisse admodum familiarem, et notam Judæis, eo quod juxta legem Levitici XXIV singulis septem annis (qui faciebant unam hebdomadam annorum) terra vacabat ab agricultura, et dicebatur annus ille sabbaticus, quia terra sabbatizabat, id est, non laborabat agricultura, et ex septem hebdomadis annorum quæ sunt quadraginta novem anni fiebat jubilæus in quo omnes possessiones venditæ ad priores dominos revertebantur. Unde maxime iste computus jubilæorum attendebatur pro contractibus, et venditionibus celebrandis. Anni autem septuaginta captivitatis dispositi sunt a Deo, ut terra toto illo tempore sabbatizaret, ut dicitur II Paralipomenon ultimo: *Cunctis diebus desolationis egit terra sabbatum*, et sic implevit decem annos

sabbaticos, qui sunt septuaginta anni. Cum ergo Daniel illo capite IX oraret Deum pro abbrevianda illa captivitate septuaginta annorum, qui sunt decem anni sabbatici, non fuit quoad hoc exauditus, sed revelatum est ei quo tempore fieret liberatio captivitatis totius generis humani per mortem Christi computando non decem annos sabbaticos, qui sunt septuaginta anni sed decem jubilæa quæ sunt 490 anni seu hebdomades septuaginta. Et convenientissime per computationem jubilæorum exprimi debuit, eo quod tempus illud redemptionis Christi fuit summum jubilæum in quo totum genus humanum ad pristinam possessionem paradisi reductum est.

XXVIII. Quod vero dicitur non poni tempus determinatum, quo Christus moreretur, respondetur Angelum prius diffinitè determinasse tempus redemptionis faciendæ in morte Christi dicendo: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, ut consummatur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et impleatur visio, et ungatur Sanctus Sanctorum*, ubi omnes istæ actiones ad nostram redemptionem pertinentes consummandæ dicuntur in illis septuaginta hebdomadibus abbreviatis seu præcis, postea vero fecit divisionem istarum hebdomadarum propter rationem statim adducendam. Et ita cum dixit, quod post septem, et sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus, Iy post non relinquit tempus indeterminatum, sed intelligitur immediate post, id est, hebdomada septuagesima, eo quod jam superius dixerat septuaginta hebdomadas esse abbreviatis, ita quod ultra illas non poterat hoc extendi: ergo cum dicitur post septem et sexaginta duas, intelligitur immediate post.

XXIX. Quando autem dicitur, ad quid Angelus numeravit per partes illas hebdomadas, dicendo: *Usque ad Christum duces hebdomades septem, et sexaginta duo erunt, et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum, et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*, respondetur, id consulto fecisse Angelum, ut designaret Danieli tempus in quo erat reædificanda Hierosolyma juxta paupertatem, et angustiam illorum temporum, quia enim Daniel postulaverat a Deo liberationem captivitatis, et reædificationem Hierosolymæ, voluit etiam in hoc Deus illi revelare non quidem determinationem captivitatis, quia hæc jam erat expressa apud Hieremiam, quod faciendæ erat post septuaginta annos, sed reædificationem civitatis post captivitatem. Et ad hoc prædixit illi a quo tempore erant numerandæ septuaginta hebdomades, seu decem jubilæa usque ad liberationem captivitatis humanæ per redemptionem Christi, scilicet, quod inciperent numerari ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Hierusalem, seu a secundo decreto reædificationis ejus, quod datum est septimo anno Artaxerxis, ut ostensum est: sed cum hac distinctione, quod intra primas septem hebdomadas, seu intra primum jubilæum ab illo secundo decreto computandum, ædificabitur murus, et platea Hierusalem; in hoc enim plures anni consumpti sunt, cum a vigesimo anno Artaxerxis, et deinceps ædificatus sit murus a Nehemia, ut dicitur II Esdræ I et II. Exinde vero post illas septem primas hebdomadas, quibus ædificabatur murus, et platea Hierusalem, restabunt usque ad occisionem Christi sexaginta duo hebdomades, ita quod immediate post illas occidetur. Et sic oportet applicare singula singulis,

scilicet quod ædificatio plateæ, et muri correspondeat primis septem hebdomadibus post annum septimum Artaxerxis, id est, post secundum decretum, quasi hæc ædificatio faciendæ sit intra primum jubilæum post illud secundum decretum, occisio vero Christi non intra, sed post sexaginta duas hebdomadas ultra illas septem priores, id est, in ipsa septuagesima hebdomada annorum. Quod vero dicitur, unctionem Christi non esse in morte ejus, sed in conceptione, respondetur, quod loquitur de unctione non ut præcise sanctificante humanitatem Christi, sed ut consummante redemptionem nostram, et sanctificante nos, quod fuit quando unctus est sanguine suo, ut redemptor in cruce.

XXX. Ad ultimum de illis verbis: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, etc.* fateor verba esse obscurissima, et quæ valde torquent expositores. Certum tamen videtur, loqui ibi de confirmatione pacti, seu testamenti novi, quod intercedente morte Christi testatoris confirmatum est, et disruptum antiquum, sicque cessavit hostia, et sacrificium antiquum, expleta jam redemptione facta per hostiam Christi. Relictis ergo variis interpretationibus, quod probabilius videtur, et inhærentius litteræ est, quod Angelus declarans Danieli tempus venturi Messie computando per hebdomadas, seu annos sabbaticos, et jubilæa, oportuit declarare quomodo istæ hebdomades, et jubilæa non concurrebant, nec pari cursu numerabantur, cum annis ordinariis sabbaticis, et jubilæis, quæ in populo celebrabantur, et notabantur pro venditionibus, et cessatione agriculturæ, et aliis similibus juxta legem Levitici XXV. Revera enim annus quo mortuus est Christus non fuit annus sabbati-

cus terræ, sed quartus, vel circiter a sabbatico corrente, et hoc fuit mori in dimidio hebdomadis ordinariæ, et currentis pro cultura terræ, licet esset in fine hebdomadis computandæ ab initio illarum septuaginta de quibus loquebatur Angelus. Constat hoc, quia ultimus annus sabbaticus terræ, qui in Scriptura notatus reperitur est i Macchab. vi, ubi dicitur, quod anno centesimo quinquagesimo regni Græcorum obsedit Judas arcem Hierusalem, et venit Antiochus Eupator contra eum cum exercitu validissimo, et elephantis, subditque sacer textus: *Quod erant tunc sabbata terræ, et infra: Escæ autem non erant in civitate, eo quod septimus annus esset.* Ab illo autem anno usque ad mortem Christi fluxerunt anni 194 paulo plus, qui faciunt viginti septem sabbaticos, et quatuor annos paulo plus, et sic annus mortis Christi non fuit sabbaticus, sed fuit in dimidio sabbatici, paulo post, quod est in dimidio hebdomadis currentis pro sabbato terræ. Quod autem tot anni fluxerint, patet quia regnum Græcorum juxta quod fit supputatio in libris Macchabæorum non incœpit a morte Alexandri in quo hallucinatus est pater Suarez ubi supra, sed incœpit a Seleuco Nicatore, a quo fundatum est regnum Græcorum in Syria post obitum Alexandri, id est, olympiade 117 ut affirmat Eusebius, et Sanctus Hieronymus, super caput ix Danielis, quod etiam patet ex inscriptione Concilii Nicæni i, quod fuit celebratum anno 325 Christi nati; dicitur autem in eodem Concilio, quod fuit æra Alexandri 636. Unde fit, quod Christus natus est æra 311 Alexandri, subtrahendo 325 a numero 636. Quod non potest esse ab obitu ipso Alexandri, sed a Seleuco Nicatore, qui fundavit regnum Græcorum in Syria, et ex eo computantur anni

regni Græcorum in Macchabæis, Alexander enim mortuus est circa olympiadem 114 et Christus natus est olympiade 194 anno ejus secundo; unde intercedunt ab obitu Alexandri, usque ad Christum plusquam octoginta olympiades, id est, plusquam 320 anni, non 311. Computando ergo 311 usque ad natum Christum in æra Alexandri, seu regni Græcorum, ut sumitur ex supputatione Concilii Nicæni, currebat ex istis annus 150 illo anno, qui fuit sabbaticus i Macchab. vi; ergo ab illo sabbatico numerantur usque ad Christum natum 161 et addendo 33 vitæ Christi, currebat in morte ejus annus 194 ab illo sabbatico Macchabæorum, qui ut diximus efficiunt viginti septem sabbaticos, et quatuor annos paulo plus, et sic passus est Christus in quarto anno sabbatici, id est, in dimidio hebdomadis currentis, et ordinariæ pro populo. Quare sic videntur intelligenda illa verba: *Confirmabit pactum multis hebdomada una*, id est, hebdomada ultima illarum septuaginta, tunc enim confirmatum est pactum, seu testamentum novum. Et in dimidio hebdomadis, non illius septuaginta (hæc enim fuit completa in morte Christi,) sed hebdomadis currentis, et ordinariæ pro agricultura terræ (eo quod non fuit annus sabbaticus, sed dimidium illius) tunc deficiet hostia, et sacrificium, id est, hostia, et sacrificium antiquum per hostiam, et sacrificium Christi in cruce. Quando autem subdit: *Et erit in templo abominatio desolationis*, hoc non pertinet ad illam dimidiam hebdomadam in qua deficiet hostia, et sacrificium, sed ad illa verba antecedentia: *Et post finem belli statuta desolatio*; miscentur enim diversæ clausulæ, et interponuntur in hac prophetia, quarum singulæ singulis applicari debent, et ordinate disponi. Abominatio au-

tem desolationis, et statuta desolatio pertinet ad tempus quo a Tito civitas desolata est, quia illa fuit desolatio statuta, id est, firma, et perpetua. Et sic videntur constare omnia, quæ in ista prophetia dicuntur, licet propter sui magnitudinem profunda sit, et obscura valde, ideoque indigeat magna attentione, et advertentia.

XXXI. An vero, ille annus quo mortuus est Christus fuerit annus jubilæi currentis apud Judæos, an vero in dimidio jubilæi, ut undique constet in dimidio hebdomadis tam sabbaticæ, quam jubilæi defecisse hostiam antiquam, licet hoc nobis necessarium non sit, sed quæ dicta sunt sufficiant pro dimidio hebdomadis explicando, nec modo disputare possimus, quando incœpit primum jubilæum computari, an a primo, ut secundo anno post ingressum primum filiorum Israel in terra promissionis, quando primo comederunt fructus terræ, et consequenter agriculturam incœperunt, an vero post divisionem terræ totaliter jam devictæ, et acquisitæ: tamen sustinendo, nunc ut probabilius, quod immediate post ingressum terræ incœpit computari primum jubilæum, ut videtur probari juxta litteram textus Levitici xxv: *Cum ingressi fueritis terram sabbatizes sabbatum Domino; numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, etc.* tunc enim vel saltem sequenti anno incœperunt colere aliquam partem terræ, ut habere possent fructus, licet tota terra non nisi post quinque annos a primo ingressu fuerit devicta. Et ab exitu Israel de Egypto usque ad Christum natum computantur 1503 anni vel circiter, et consequenter ab ingressu terræ, qui fuit quadragesimo anno egressionis vel anno sequenti incœpit primum jubilæum, et computantur usque ad Christum natum

anni 1462, vel 1463 inveniemus, quod triginta jubilæa efficiunt annos 1470, dando cuilibet jubilæo quædraginta novem annos plenos, ut dicitur Levitici xxv, et sic jubilæum trigesimum completum est anno septimo vel octavo Christi, et sic quando crucifixus est erat annus vigesimus sextus vel vigesimus quintus jubilæi trigesimi primi currentis, quod fuit fere in dimidio jubilæi paulo plus, atque adeo in dimidio jubilæi, et in dimidio hebdomadis anni sabbatici defecit hostia, et sacrificium, et confirmatum est pactum novi testamenti.

ARTICULUS III.

Ostenditur contra hæreticos, solam fidem catholicam esse veram.

Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, Ps. xviii.

Qui superbierit nolens obedire sacerdoti, et decreto judicis, morietur homo ille, Deuteron. xvii.

Hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devota, cum sit proprio judicio condemnatus, ad Titum iii.

I. Materia hæresum varia est, et multiplex, et ideo non possimus contra singulos errores in præsentis tractare, sed contra illos agetur in diversis materiis theologicis prout occurrerit occasio in materiis circa quas erratur: an vero forma, seu formalis ratio in quam hereses omnes conspirant est oppositio ad Ecclesiam quatenus est proponens res fidei, cujus judicio, et determinationi in proponendo stare nolunt. Ut enim inquit Cyprianus epistola lv, ad Cornelium Papam: « Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, ad